

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica cantate

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA CANTATE.

Evangelium Joh. 16. v. 15.

EXORDIUM.

CUm David immanem illum Philistæum Goliath prostravisset, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum ejus in tympanis cum lætitiâ & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem milia, 1. Sam. 18. v. 7.

Christus Filius Davidis, Servator noster pientissimus, etiam heroicum facinus exantlayit, quando infernalem Goliath superavit. Sicut enim traditus est propter peccata nostra: ita resurrexit propter justitiam nostram, Rom. 4. v. ult. & dissolvit opera Diaboli, 1. Joh. 3. v. 8. exspolians Principatus, & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in seipso, Col. 2. v. 15. Iccirco officii nostri erit, ut cantantes, chorosque ducentes obviamus ei, dicentes: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, Psal. 126. v. 3. Magnum enim beneficium, magnam meretur gratiarum actionem. Sacrifica Deo laudem: & redde Altissimo vota tua; sacrificans laudem honorabit me, Psal. 50. v. 14. ult.

Præcipue hoc tempore, quo Deus renovat faciem terræ, Psal. 104. v. 30. & egrediens manè & vesperi lætificat, Psal. 65. v. 7. Unde dies Dominicales inter

Pascha & Pentecosten meris lætis nominibus insigniuntur, quibus ad *jubilate & Cantate* excitamur. Maximè ansam nobis præbet hodieñnum Evangelium, in quo Servator de abitu suo ad Patrem concionatur dicens: Expedi vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos &c.

Nos iterum ex præsentī Evangelio videbimus

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

Exegesis.

ADam primus noster parens ex curiositate manum suam ad arborem vitam extendit, ejusque fructus degustavit: sed propterea Paradiso ejectus, & in exilium pulsus est, Genes. 3. v. 6.

Quod igitur primus Adam inobedientia suâ deperdidit: ad alter Adam obedientia suâ restituit, dum ad locum Calvarie abiit, & per abitum illum doloriferum nobis omnibus lætum introitum in Paradisum cœlestem aperuit, Rom. 5. v. 2.

Que-

Querela respicit

I. *Mundi incuriam.* Ideam habemus in Apostolis, quos Servator propterea reprehendit, inquit: Nunc autem vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?

Apostoli adhuc in præconcepta illa opinione hærebant, Christum terrenum Regnum inchoaturum, eosque ad amplissimas dignitates evecturum esse, ideò non credere poterant, quando de abitu ad Patrem sermonem ferebat, eo mortem adeò dolorosam denotari; sed extrà Judæam eum iter suscepturum autumabant. Sicut de Simone Petro legimus, quod Dominum interrogavit: Quo vadis? cuius Jesus responderet: Quò ego vado, non potes me modò sequi? Replicat Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam, Joh. 13. v. 36. quod ipsum & Thomam fecisse, legimus, Joh. 14. v. 5. De ejusmodi autem interrogatione hic sermo Christo non est, sed de fructu & utilitate abitus sui discipulos sollicitos esse voluit. Non voluit interrogari de loco, ad quem ibat, vel de personâ, ad quam pergebat, quam expressè Patrem esse dicebat, sed de causâ seu instituto propter quod ibat, ac de gloriâ, in quam per hunc abitum intraturus erat, ait Euthymius. Hoc verò minus fecerunt Apostoli, sed potius corporali ejus præsentia intenti, contristabantur, quando de abitu suo Dominum loqui audiebant.

Talis socordia & negligentia adhuc hodiè valdè familiaris est. Plerique enim terrena sapiunt, Phil. 3. v. 19. & non intelligunt, quæ ad pacem suam faciunt, Luc. 19.

v. 42. sunt sicut equus & malus, Psal. 32. v. 10.

Quis concionibus penitentialibus locum relinquit, dicens: Quid feci? Jer. 8. v. 6. Quis ad pœnas Dei respicit? Equidem super contritione quilibet clamat, Jer. 30. v. 15. Verùm causam nemo remove vult, ut cogitaret, non fortuitò ita fieri, sed castigari se ob malitiam suam, Jer. 2. v. 19.

Veri Christiani locum relinquunt dehortationibus, operantes salutem suam cum timore & tremore, Phil. 2. v. 12. Hæc dicit Dominus: state super vias, Jer. 6. v. 16.

Hoc si fecerimus, non frustrà quæremus, sed Dominus respondebit nobis: Ecce, adsum, Esa. 58. v. 9. docebit nos utilia, Esa. 48. v. 17. Instituet nos in viâ, quam elegit, Psal. 25. v. 12. Quin & eò nos tandem deducet, ubi non docebit ultrà vir proximum suum, & vit fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: Omnes enim cognoscent me, à minimo usque ad maximum, Jer. 31. v. 34.

II. *Taxandorum materiam.* Hinc Servator: Spiritus sanctus arguet mundum, de peccato, & de justitiâ, & de judicio. Idque sic explicat: De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De justitiâ verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me. De judicio autem quia Princeps hujus mundi jam judicatus est.

Adhuc hodiè Spiritus sanctus in his tribus occupatus est. Verè enim his postremis temporibus locum habet illud Davidis: Defecit sanctus, Psal. 12. v. 1. Justitia quoque ubique vacillat, tam in Ecclesiâ, quam in curiâ. In Ecclesiâ ita, ut plerique

justi-

justitia, quæ coram Deo valet, & per Christum humano generi parata est, subiecti esse nolint, sed quærant suam justitiam statuere, Rom. 10. v. 3. quam tamen detrimentum habere fasesset, Phil. 3. v. 8. Luc. 17. v. 10. Incuriâ verò quia leges languent, & non pervenit usque ad finem judicium, Heb. 1. v. 4. sed magnus loquitur desiderium animæ suæ, & intricant eam, Mich. 7. v. 3. ut sint viduæ præda eorum, & pupillos diripiant, Esa. 10. v. 2. Amos. 5. v. 7. Esa. 1. v. 23.

Verùm grande hoc peccatum est, quod Spiritus sanctus passim in Scripturâ reprehendit: Væ qui condunt leges iniquas, Esa. 10. v. 1. 2.

Tertiò Epicurei quoque offenduntur, qui judicium ultimum susque deque habent, irridentque illud, dicentes cum servo illo nequam: Moram facit Dominus meus venire, Luc. 12. v. 45.

Hæc magna securitas & impietas est. Sicut enim Princeps hujus mundi jam judicatus est, die verò ultimo demùm judicium in eo plene consummabitur, 2. Petr. 2. v. 4. Matth. 25. v. 11. Sic & judicium super incredulos dudum latum est. Qui enim non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei, Joh. 3. v. 18. Verùm die ultimo executioni dabitur illud quando dicetur: Discedite à me maledicti in ignem æternum, Matth. 25. v. 41. Obviemus igitur Domino, dum dicitur hodiè, & retracto judicio, propter Christum nos in gratiam recipiet, est enim benignus & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, Joel. 2. v. 13. sicut id ipsum exemplum Ninivitarum probat, super quos judicium, quod

post quadraginta dies interituri sint, jam tùm pronunciatum erat, quia verò emendabant mores, pœnitent Deum super malo, quod locutus fuerat, & non fecit, Jon. 3. v. ult. Quia verò hoc minus observatur, sed profana sunt viæ impij omnitemporè, alta sunt judicia Dei, coram ipso, Psal. 10. v. 5. Spiritus sanctus semper arguit per ministros suos, idque sæpè frustra: ergò aliquando horum damnatio justa erit, Rom. 3. v. 8.

III. *Intellectus penuriam.* Hinc Christus ad discipulos ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Tales omnes naturâ sumus, ut mala promptius, quàm bona teneamus, de quo ipse Deus conqueritur: Figmentum cordis humani malum est ab adolescentiâ sua, Gen. 8. v. 21.

Agnoscamus hinc tristissimam naturæ nostræ corruptionem, in quam per lapsum Protoplastorum præcipitati sumus. Ubi enim antè imagine Dei decorati fuimus, quæ consistebat in perfectâ justitia & sanctitate, Eph. 4. v. 24. Jam Diaboli larva depravati sumus, ut in corde malitia, cœcitas in intellectu, repugnantia in voluntate nostrâ inveniatur, & ut verbo dicam, decalogus inversus, ut non abs recum Paulo lamentemur: Non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, Rom. 7. vers. 19. 24.

Oremus igitur Deum, ut det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Eph. 1. v. 18. ut probemus potiora, Phil. 1. v. 10. & illa debito fervore & zelo perficiamus.

Scienti enim bonum facere, & non facienti peccatum est, Jac. 4. v. ult.

De Secundo.

Sequitur *Medela triplex*, quæ fuit
I. *Ex abitu Christi justificatione*, de qua Servator ipse: Expedi vobis, ut ego vadam. Utrique expedit:

Ni Christus hinc ivisset,

Solator haud venisset:

Ast mox ut is migravit,

Spiramen impetravit.

Quinimò sine hoc abitu nemo salutis particeps fieri potuisset, propterea ait: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Joh. 14. v. 2. 3.

Angunt igitur *peccata* conscientiam tuam, ut cum Davide quiritandum tibi: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me, Psal. 38. v. 5. abitum hunc Servatoris tui recordare, quomodo in montem Calvariae migrans, tua ibi & omnium hominum peccata in corpore suo pertulerit super lignum, 1. Petr. 2. v. 24. Ut jam nihil damnationis sit his, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

Territat te *ira Dei*, hoc solatium arripe, quod Christus per abitum suum cum Patre cælesti nos reconciliaverit, qui & adhuc hodiè est ad dexteram Dei, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Simultis *calamitatibus* immertus, flagellaris totâ die, & castigatio tua in matutinis, Psal. 73. v. 14. iterum abitum Christi in memoriam tibi voca, qui nobis Spiritu

tum sanctum Paraclitum acquisivit, qui interiori suo testimonio, cor ita confortat, roborat, fundat, 1. Petr. 5. v. 10. ne deficiamus in tribulationibus istis, Ephel. 3. v. 13. sed & in morte speremus, Prov. 14. v. 32. & communicantes Christi Passionibus gaudeamus, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeamus exultantes, 1. Petr. 4. v. 13.

Verùm caveamus, si abitu Christi frui velimus, à curvis peccatorum viis, Psal. 125. v. ult. ne abeamus in consilio impiorum, Psal. 1. v. 1. sed dirigamus pedes nostros in viam pacis, Luc. 1. v. 80. arctæ viæ insistentes, quæ ducit ad vitam, Matth. 7. v. 14. aliâs omnia disperdimus, quæ nobis Christus abitu suo acquisivit. Qui enim facit peccatum, servus est peccati, Joh. 8. v. 35. & negat Dominum, qui emit se, 2. Petr. 2. v. 1. huic igitur non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulationis, quæ consumtura est adversarios, Hebr. 10. v. 28.

II. *Ex Spiritus sancti appellatione*, qui hic à Christo *ναὶ ἕξοχῶν* vocatus Παράκλητος, quod vocabulum forenses est, & advocatum notat, qui causam elientis in foro coram tribunali agit, eumque defendit. Hoc ipso respicitur ad Diabolam, de quo dicitur, quod ante conspectum Dei, die ac nocte accuset nos, Apoc. 12. v. 10. Sed Spiritus sanctus Advocatus noster est, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. v. 27. quos in cordibus piorum excitat, ut sic Diabolus accusatione suâ confundatur, & re infectâ fugere cogatur, Jac. 4. v. 8.

Similiter & infirmitatem nostram adjuvat,

juvat, quando in spirituales & corporales tentationes incidimus, Rom. 8. v. 26. dans lassis virtutem, Esa. 40. v. 30. ne desperent, sed Christo fideles sint, usque ad mortem, Apoc. 2. v. 10. & initium substantiæ firmiter usque ad finem retineant, Hebr. 3. v. 14.

In Insula Ferro neque fontes neque fluvii sunt, sed arbor mediocri magnitudine, nucibus nostris sese adsimulans, tantam aquarum copiam sudat, ut tota insula per certos canales adaquari possit.

Nos quandoque etiam languemus, Psal. 68. v. 10. ut in tribulationibus constituti parum aquæ consolationis inveniamus: ideo Spiritus sanctus fontes consolatorios aperit nobis, ut reficiamur, sicut Israëlitarum in Elim duodecim fontes aquarum invenerunt, proptereaque gavisi sunt, Exod. 15. v. ult.

Hi fontes consolatorii fluunt in montibus Israelis, i. e. in Ecclesiâ, ubi verbum Dei purè prædicatur, & Sacramenta juxta institutionem Christi administrantur, per hæc media Spiritus Sanctus virtutem suam exerciturus est, ideoque illis sedulo utamur: & quando infernales Palæstini hospites obstruere satagunt, illis resistemus fortiter, ut Isaac, refodientes eos, Genes. 26. v. 18. sic virtute Dei per fidem custodiamur in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. Rivuli enim Dei pleni sunt aquis, Psal. 65. v. 10. quas qui biberit, non sitiet in æternum, Joh. 4. v. 13.

III. Ex Principis mundi judicatione. Quemadmodum enim Deus in Paradiso Protoplastis nostris prædicaverat, de benedicto semine mulieris, quod contritum sit caput serpentis, & ille insidiaturus

sit calcaneo ejus, Gen. 3. v. 15. Ita utrumque impletum est. Per insidias enim calcaneo Christi structas, notatur passio & mors ejus, ad quam Diabolus Pontifices, Seniores & Scribas populi Judaici instigavit, ut tanquam organa sua id efficerent, quod manus & consilium Dei decreverant fieri, Actor. 4. v. 27. Verùm hoc ipso caput ejus contritum est, ut jam lætabundi præclarum illud *in vino* canere possimus: Ubi est mors victoria tua? Ubi tua, inferne, victoria? 1. Corinth. 15. v. 6. Hebr. 2. v. 14.

Agnoscamus igitur hoc grato animo, servientes illi in sanctitate & justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris, Luc. 1. v. 76.

Cum Imperator Augustus militi profugo vitam donasset, ille gratum animum declaraturus, in hæc verba prorupit: Quid tibi rependam Cæsar? pro tanto beneficio effecisti ut viverem, & moriar ingratus?

Nos quoque Dilecti! in faucibus mortis hæsimus, verùm Christus redemit nos, destruendo mortem, & illuminando vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Timoth. 1. v. 10. Quidni gratiam ipsi referremus? O Dilecti, gratias agite pro beneficio hoc, hæc voluntas Dei in Christo JESU in vobis, 1. Thessal. 5. v. 17. Non amplius nos sub potestate tenebrarum sumus, Coloss. 1. vers. 13. Princeps mundi hujus judicatus, mors in sempiternum absumpta est, Esa. 25. v. 8. peccatum obliatum, iniquitas expiata, & justitia sempiterna adducta est, Dan. 9. v. 24. Victoria, victoria

m m z

est

est vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum, Pſal. 118. v. 15. Apoc. 12. v. 11. Nos cum Ecclesia concinemus, dicentes:

Arx firma noſter eſt Deus,

Et armatura fortis,

E tribulationibus,

Cunctis levat obortis.

Antiquus hoſtis

Furore grandis

Vis fraudulenta,

Eſt ſæva machina,

Par non ei eſt in terrâ.

Verùm:

Sit plenus orbis Dæmonum,

Qui nos vorare tendant:

Timebimus non admodum,

Nobis tropæa pendant.

Princeps in orbe

Ringat furore:

Nihil nocebit,

Nam iudicatus it,

A verbulo peribit.

De Tertia.

Restat *Cautela*, quæ tribus abſolvitur Regulis, quatum

1. *Abitum Chriſti pondera*. De quo ipte: Nunc autem vado ad eum, qui miſit me. Quo ipſo innuit, ſe quidem paſſionem & mortem ſubiturum, ſed & è mortuis reſurrecturum, & ad cælum adſcenſurum eſſe, unde venerat. Hoc vocat ad Patrem vadere, eoque nobis exemplum præbet, quid agere nos oporteat, ſi aliquando peregrinationem noſtram feliciter abſolvere, & ad optatum ſcopum pervenire velimus.

Ubi conſiderabimus,

1. *Terminum à quo*, qui eſt mundus. In ſequentibus enim ait: Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.

Hactenus cum diſcipulis præſens converſatus, & ut homo commercio eorum uſus fuerat, Phil. 2. v. 7. Sed jam præſentiam viſibilem ipſis ſubtracturus, & mundum relicturus erat, in quo hactenus degerat, dum pertranſerat benefaciendo & ſanando omnes à Diabolo oppreſſos, Act. 10. v. 38. hoc verò non ita intelligendum eſt, quaſi non amplius nobis præſens eſſet, poſtquam cælum adſcendit, ſed potius locum habet illud Auguſtini: *Non abijt, ut abeſſet, ſed ut præſentius aſeſſet*. Et Paulus ita explicat: Adſcendit ſuper omnes cælos, ut omnia impleret, Ephes. 4. v. 10.

Sic nobis quoque è mundo emigrandum eſt, qui totus in maligno eſt poſitus, 1. Joh. 5. v. 9. ita ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, modeſtè & juſtè & piè vivamus in hoc ſeculo, Tit. 2. v. 11. quando enim in mundo manemus, concurrentes in eandem luxuriæ diſſolutionem, 1. Petr. 4. v. 4. ad Patrem nobis venire non licebit, quia amicitia hujus mundi inimicitia Dei eſt: & quicumque voluerit amicus eſſe ſeculi hujus, inimicus Dei conſtituetur, Jac. 4. v. 4.

2. *Terminus ad quem*, ad eum ſc. qui miſit ſe, h. e. ut poſteà explicat, ad Patrem. Sic nullum alium ſcopum habemus, viam omnis mundi meantes, quam ut abitum noſtrum ad Patrem cœleſtem dirigamus, commendantes animas noſtras fidei Creatori, in benefaciendo, 1. Petr. 4. v. ult.

Qui

Qui aliquamdiu in peregrinatione vitam degit, lætatur, quando iter in Patriam ad parentes reperiturus est, ut exemplo Tobia junioris patet, Tob. 10. vers. 9.

Nos quoque peregrini & hospites sumus super terram, Hebr. 11. v. 13. In cælo vero est *παλιτεύμα* nostrum, Phil. 3. v. 20. ubi verum Patrem inueniemus, ex quo omnis paternitas, in cælis & in terra nominatur, Eph. 3. vers. 15. ideo lætemur, si hora venit, in qua mundo huic valedicendum & ad Patrem abeundum est. Scimus etenim, beatos esse mortuos, qui in Domino moriantur à modo, Apoc. 14. vers. 13.

3. *Terminus per quem.* Hæc via crucis est. Sic enim scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. vers. 46.

Quod si nobis in cælum intrare volupe est, in eadem hac crucis via progrediendum & compatiendum Christo nobis est, ut & conglorificemur, Rom. 8. vers. 17.

Æquo igitur animo omnes procellas, imbres, molestias & pericula subeamus, & cum gaudio perrumpamus, perpendentes, quod non sint condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, Rom. 8. v. 8. Sicut enim pater filium suum prodigum cum gaudio excepit, inquit ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: Et adducite

vitulum saginatum, & occidite & manducemus, & lætemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est, Luc. 15. v. 22. seqq. Sic nos quoque Pater cœlestis pulchre exornabit vestimentis salutis, & indumento justitiæ, Esa. 61. v. 10. ornaturus nos annulo immortalitatis, ut æternum vivamus, sicut in annulo finis non reperitur, ut simus cum Domino semper, 1. Thess. 4. v. ult. Pingue instruet convivium, ut recumbamus cum Abraham Isaac & Jacob in Regno cœlorum, Matth. 8. v. 11. comedentes, & bibentes, & lætantes, & jubilantes præ exultatione cordis, Esa. 63. v. 13. quale hoc gaudium sit, in hoc mundo oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, 1. Cor. 2. v. 9. ubi vero e& aliquando pervenerimus, dicemus: sicut audivimus, sic vidimus, Psal. 48. v. 9. quin media pars nobis nunciata non fuit, 1. Reg. 10. v. 7. Quia melior est una dies in atris tuis super millia, Ps. 84. v. 11.

II. *Elenchum Spiritus sancti tolera.* Hic audimus Christum dicentem: Ille arguet mundum, de peccato, & de justitia, & de judicio. Idem adhuc hodie per Ministerium Ecclesiasticum peccata mundi redarguit,

1. *Vehementer.* Unde Sal terræ à Christo vocantur, Matth. 5. v. 13. Propterea Spiritus sanctus, in ovili suo canes mutos, latrare non valentes tolerare minimè vult, Esa. 56. v. 10. sed tales, qui clamant ex gutture nec cessant, quasi tuba exaltantes vocem suam, & annunciantes populo transgressionem eorum, Esa. 58. v. 1. Nisi ardeat Minister prædicans, non potest accendere eum, cui prædicat, ait Augustinus:

m m 3

Ma-

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, Jer. 48. v. 10.

2. *Indifferenter*, non habito respectu personarum. Ut enim spiritus Sanctus nullum discrimen agnoscit inter sublimes & humiles, divites & pauperes, Clericos & laicos, &c. ita verbum Dei æque Principibus Sodomorum, ac populo Gomorthæ prædicandum est. Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant, 1. Tim. 5. v. 20.

3. *Prudenter*, ut suo auditorio Minister verbi sese accommodet. Quid enim nobis de iis, qui foris sunt, iudicare? 1. Cor. 5. v. 13. Imprimis vero gradus admonitionis juxta admonitionem Christi observandi sunt, Matt. 18. v. 15. seqq.

Quando igitur spiritus Sanctus officium elenchiticum per Ministros suos, prout decet, administrat, Auditorum erit, eidem reverenter se submittere, ut cū mansuetudine suscipiant infirmitatem verbum, quod potest salvare animas eorum, Jac. 1. v. 21.

III. Doctore veritatis obtempera.

Eriam si enim Doctor hic munus suum peragit, nemo vero obsequutus est ei, sed homines obdurant corda sua, Ps. 95. v. 8. & conversi sunt ad cursum suum, quasi equus cum impetu vadens ad prælium, Jer. 8. v. 6. ibi exigua spes salutis restat: declinent igitur id veri Christiani, & Doctore huic locum relinquunt.

1. *In Choro*. Ne assentiantur iis qui Deo ejusque verbo repugnant: sed orent cum Christo: Sanctifica nos sanctissime Pater, in veritate tua, sermo tuus est veritas, Joh.

17. v. 17. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus, &c. 1. Tim. 6. vers. 3.

2. *In Foro*. Hic requiruntur Deum timentes, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, Exod. 18. v. 21. Nam in Christo Jesu veritas, Eph. 4. v. 21.

3. *In Toro*. Hæc sunt verba, quæ facietis, inquit Deus: Loquimini veritatem unusquisque proximo suo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Et unusquisque malum contra proximum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, Zach. 8. v. 16. Hæc Regula nostra sit, ut in verbis veraces simus, Labium enim veritatis firmum erit in seculum, Prov. 12. v. 19. Veraces in corde, ne aliter loquamur ac sentimus. Nam sicut Dæmon est in anima sua, qui dicit: Comede & bibe, & mens ejus non est tecum, Prov. 23. v. 7. Veraces in operibus, ne falsis ulnis, menfuris & ponderibus in emendo & vendendo utamur, ad fallendum proximum: sed corde sincero faciamus hominibus quæ nobis fieri volumus, Matth. 7. v. 12.

Hoc si ita sit, premi quidem sed non opprimi possumus: quoad usque iustitia convertatur in iudicium, & post illud, omnes qui recto sunt corde, Psal. 94. vers. 15.

Tandem nos Jesus, tanquam Rex veritatis, Joh. 18. v. 38. adsciscet sibi, ut in monte sancto, in cælesti Hierusalem tabernaculum tutum & constans habitemus in æternum, Ps. 15. v. 1, 2.

Id quod ex animo exoptamus, per Christum Jesum, Amen!

DOMI-